

# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

*Et ecce Melissa vobis affert ...*



- ... *Recordationes aestivas ...* p. 2
- ... *Gratulationes poeticas ...* p. 4
- ... *Hodiernas litteras in Latinum versas ...* p. 5
- ... *Textus neolatinos ...* p. 7
- ... *Orationes a discipulis Latine habitas ...* p. 10
- ... *Relationem musicam ...* p. 12
- ... *Morum antiquorum enarrationem* p. 16

Die 11 m. Augusti seminarii Brugensis participes admirari potuerunt solis defectionem sive eclipsin, infeliciter non totalem in septentrionali Belgicae parte, sed tamen bene conspicuam - in hoc photographemate Carolina Thuysbaert et Stephanus Feye apto perspicillo praediti.

## DE AESTATE LATINA

REFERT GAIUS LICOPPE

**I**nfelicitate vix fieri potest ut Melissae moderatores omnes coetus Latinos participant, eo magis quod coetuum numerus in annos augetur.

In superiore Melissae fasciculo Victorius Ciarrocchi Italus de conventiculo Americano rettulit. Quod inceptum, a Terentio Tunberg Universitatis Kentukianae professore ante paucos annos inchoatum, floret et crescit.

In Poloniae regione quae vocatur Silesia hoc anno seminarium Latinum etiam institutum est a moderatoribus societatis L.V.P.Ae. Una ex eis, Inga Pessarra, quae Brugis initio seminarii Belgici adfuit, nobis narravit seminarium Silesiense lautum, commodum et frugiferum fuisse.

Fuerunt etiam exercitationes Latinae privatae, ut legitur in libello 48 periodici M.A.S., quod Genovefa Immè Palensis indefesse lauteque componere atque suis sumptibus circummittere pergit. Ibi enim narrat se privatam discipulam eandemque formosam puellam Russam domi suae Latine docuisse, cum ipsa propter malam

valetudinem impediretur ne itinera faceret.

Nos Melissani solum seminarium Brugense participare potuimus et breviter Férias Ferigoletenses.

Plus quam triginta participes multis e regionibus oriundi Brugas convenerunt ad seminarium participandum. Suo solito modo P. Caelestis Eichenseer et Sigrides Albert colloquia Latina moderati sunt sive in magno commoquo oeco subterraneo sive in horto magni collegii Sancti Leonis. Die 11 m. Augusti praesentibus licuit solis defectionem sive eclipsin inter nubes admirari. Iucundissima fuit cena finalis. In angulo nostri oeci erat clavichordium derelictum, quod inspexit Stephanus Feye. Mancum erat instrumentum, cui deessent quattuor notae. Nonnullas parvas partes avulsas repperit Stephanus, qui instrumentum statim restituere valuit. Idem postea participes variis modis musicis tum seriis cum levioribus oblectavit.

Quadrifido post seminarii finem nos brevissimum iter in Provinciam suscepimus; die 20 m. Augusti in abbacia Sancti Michaelis Ferigoletensis apud Feriarum Latinarum participes totum diem mansimus. Haec Praemonstratensium abbacia in amoenis collibus pinis umbratis est sita. Aedium pars quaedam facta est deversorium bene instructum, quod hoc anno hospitibus primum patuit. Ibi oeci non desunt idonei ad sessiones Latinas habendas. Hunc locum Fériis Latinis instituendis vere aptum fortuito invenit Clemens Desessard, cum convenisset ingeniarium rude donatum, qui in Ferigoletensi abbacia fungitur munere bibliothecarii. Quod munus re vera non est leve. Sunt enim circiter quadraginta milia librorum, qui iam diu in



*Inter seminarium Brugense: Sigrides Albert et P. Caelestis Eichenseer colloquuntur cum P. Roderico Kahl.*




arcis permixte erant conditi propterea quod Praemonstratenses ab exeunte duodevicesimo saeculo ex abbazia bis sunt expulsi libros secum ferentes. Die quo Feriis interfuimus, bibliothecarius regnum suum participibus monstravit explicavitque. Bibliotheca ipsa est ingens et altus oecus, cuius parietes pegmatibus toti sunt instructi. Coriacea tegumenta veterum librorum, quibus pegmata iam sunt referta, magnifico ornameto sunt oeco bibliothecae. Latinistae in abbazia tanti aestimantur, ut invitentur ad sessiones proximo anno in ipsa bibliotheca habendas. Affabilem abbatem convenimus, qui natione est Belga. Feriarum participes numero erant fere triginta, inter quos erant Itali, Germani, unus Anglus, unus Americanus et unus Helvetius. Nonnulli nobis bene noti erant: Iohannes Claudius Champeau, qui efficax Clementis Desessard adiutor factus est, Georgius Andreas Bergère Parisinus, Vera Barandovská Sanmarinensis coetus procuratrix,



*Ericus Patteeuw (a sinistris) duas proposuit Brugarum lustrationes, quibus res minus notas sed visu vere dignas inveniremus. Translator indefatigabilis fuit Christianus Laes (in medio). Attente auscultant Volfgangus Katzenschlager, Elfrida Schmitt et Iohannes Paulus Bauer.*

Godo Lieberg professor Aretinensis et etiam Thomas Pekkanen<sup>1</sup>, qui hac aestate munus professoris in studiorum universitate Granivicensi deposuit et maxima libertate nunc fruitur ad Latinitatem vivam colendam propagandamque. Hac de causa iam statutum est ut Feriae anni bismillesimi haberentur maturius quam hoc anno. Uxor enim Thomae eum comitabitur ut una cum eo sessiones moderetur; solito tamen tempore adesse non poterit, cum in universitate Helsinkiensi doceat, ubi annus academicus maturius quam apud nos incohari solet. Inter acroases nostras ad prandium invitati sumus, ubi ciborum vique bonitas nos delectavit.

Ferias nimis breviter participare nobis licuit, sed profecti sumus confidentes eas mansuras esse attractivam Latinitatis vivae colendae occasionem, cum neque desit locus idoneus, neque optimi moderatores. Hoc unum dolemus, quod non multi iuvenes interfuerunt. Idem animadvertimus in seminario Brugensi. Res tamen non est tam mira, cum in scholis discipuli potius avertantur a Latinitate nec incitentur ad eius studium. Itaque oportet iuniores exquirere, qui communi aequalium nostrorum opinione nondum sint nimis imbuti, atque eos delectatione allidere ad universale vinculum Latinum colendum.




*Abbatiae Ferigoletensis felix bibliothecarius*

ADNOTATIO

<sup>1</sup> Inter Férias Ferigoletenses Thomas Pekkanen doluit, quod solum iniucundas existimationes de Finnorum inceptis Latinis in diariis (imprimis Belgicis) divulgatas in *Melissa* exhibuimus. Quare duas alias symbolas nobis dedit, quarum altera de actis diurnis «Le Figaro» (1/7/99) deprompta modo satis vero referebat de emissionibus radiophonicis Finnorum, non tamen sine quadam malitia; altera multo brevior de diario «Nice Matin» (8/7/99) deprompta de Finnorum inceptis Latinis sine ullo animi motu referebat.

**P.S.** ultimo temporis momento! Die 1<sup>o</sup> m. Octobris Finnorum legatus Leif Blomqvist Bruxellis invitavit sex sodales circuli Latini Belgici una cum amicis Finnis Teiva Oksala et Doctore Ammond, qui ambo pridie participaverant actuositatem quandam culturalem. Finnia iterum monstravit se Latinitati favere! 🐣



*Inter Férias Ferigoletenses: Clemens Desessard et curio Dominicus Pillet.*

---

## VOLFGANGO HUEBNER SEXAGENARIO

CECINIT NICOLAUS SALLMANN

Caelum, cometae, sidera, signifer -  
omnes adeste huc, Uraniam voco:  
Volfgangus, astrorum sacerdos,  
sena decennia clam peregit.

Oraculorum nam sapientia  
praedixit illi momine Delphico  
annum futurum, quo sacro  
concelebreris honore cinctus.

Stellam revolvit tempore circulus  
iusto probatam, legitime senex,  
Volfgange, natalique nexu  
factus es, at iuvenis manebis.

Laeti canamus carmina dulcia,  
hymnos monodos et polyphonicos,  
vox surgat usque ad solis orbem  
laude viri et meritis onusta.

Quaenam proponam vota piissima,  
famae iugum cum iam superaveris?  
Sphaeras tuas aptes sublimes  
terrigenum modulo iocosus.

*Professor Dr Volfgangus Huebner est professor ordinarius philologiae classicae, praecipue Latinitatis, in studiorum universitate Monasteriensi (Vestfaliae). Investigavit imprimis astrologiam et astronomiam antiquam; praeterea musicam colit vocalem, - non solum propter harmoniam sphaericam. Ad utrumque carmen alludit.*



## FRAGRANTIA (IV)

PROPOSITA A NICOLAO GROSS<sup>1</sup>

(...)


**G**renulius homullus primo suber extraxit amphorae spiritu vini completae. Aegre levavit hoc vas ponderosum. Quod ei levandum fuit fere ad capitis altitudinem, tam alte posita lagoena mixtoria, cui impositum erat infundibulum vitreum, in quod, nullo pocillo mensurali adhibito, alcohol directe ex amphora effudit. Baldinius cohorrui inopia tam crassa: istum hominem non solum ordinem mundi myropoetici funditus turbare eo, quod primum exerceret substantiam solventem, antequam possideret concentratam substantiam solvendam - vires istius corporales vix sufficere ad hoc perficiendum! Grenulius labore tremebat, ut Baldinius semper timeret, ne amphora ponderosa magno cum strepitu demissa diffringerentur omnia in mensa posita. En candelas, cogitavit, Deus bone, candelas! Fiet displosio, iste comburet domum meam...! Iam voluerat assilire, ut amphoram eriperet mente capto, cum Grenulius ipse eam demisit, integram deposuit subereque reclusit. In lagoena mixtoria levis liquor limpidus circumagitabatur - nulla gutta profusa est. Per nonnulla momenta temporis Grenulius spiritum recepit, vultu tam contento, quasi iam exanclasset laboris partem gravissimam. Profecto sequentia tanta cum celeritate facta sunt, ut Baldinius vix posset oculis sequi, nedum rerum sequentiam aut processum quoquomodo regulatum cognosceret.

Grenulius temere, ut videbatur, apprehendit olfactoriola serie constituta essentiis fragrantibus completa, res iis contentas secundae spatio naribus subduxit, tum aliquantum effudit ex hac, destillavit ex illa, inspersit e tertia laguncula in infundibulum, eqs. Pipetta, hyalus reagendi, hyalus mensorius, ligula, rudicula - omnia instrumenta, quibus processus miscendi intricatus regi potest a myropoeo, a Grenulio ne semel quidem attacta sunt. Qui videbatur ludere tantum, confuse circumagitare tamquam puerculus, qui contendit lixivium taediosum ex aqua et graminibus et sordibus concoctum esse iusculum. Ita, Baldinius cogitavit, tamquam puerculus; subito habet etiam aspectum pueruli, quamvis sit manibus compactis, quamvis facie cicatricata et fissuris obsita bulbosoque naso senili. Maioris aestimavi eius aetatem, quam est, nunc mihi videtur minor natu esse; mihi videtur esse trimulus

aut quadrimulus; talis, quales sunt illi inaccessibiles, incomprehensibiles, obstinati homunculi, qui dicuntur innocentes esse, sed neminem curant nisi se ipsos, qui omnia mundana more tyrannico sibi volunt subicere idque reapse facerent, si eorum megalomaniae indulgeretur neque idem severissimis methodis paedagogicis paulatim et gradatim coercerentur et ad existentiam plenarii hominis sui compotis adducerentur.

Talis puerculus fanaticus inerat huic adolescenti oculis ardentibus ad mensam stanti omnia sibi circumiecta oblito, manifeste non iam scienti in officina alias res esse ac se ipsum et has lagoenas, quas sollerti cum scaevitate adduxit ad infundibulum, ut mixturam ineptissimam commisceret, quam postea certissime dicturus erat - idque crediturus! - esse illud myron exquisitum Amoris et Psyche! Baldinius cohorrui in lumine candelarum fragranti aspectans istum hominem tam atroci pravitate tamque atroci cum confidentia sui agitantem: homines talis generis - sic cogitavit, momento temporis iterum tam miser atque contristatus quam post meridiem, cum urbem aspexisset in crepusculo rubentem - homines talis generis prius non exstitisse; eosdem esse omnino novi generis, quale non oreretur nisi ea aetate corrupta et degenerata... Sed istum catulastrum protervum institutum iri! Istum in fine eius ridiculae actionis theatrae tam vehementer verbis verberatum iri, ut clam aufugeret talis homullus, qualis advenisset. En faecem populi! Ea aetate non oportere se adiungere cuicumque homini, nam abundare faecem populi ridiculam!

Baldinius occupatior erat indignatione abdita et taedio aetatis, quam ut recte intellexeret, quidnam vellet Grenulius subito omnia olfactoriola obturans, infundibulum e lagoena mixtoria extrahens, ipsam lagoenam una manu in collo apprehendens, altera manu plana recludens, vehementer quatiens. Eo demum momento temporis, quo lagoena compluries per aera agitata erat, pretiosus liquor ea contentus tamquam limonata a ventre ad collum retroque erat praecipitatus, Baldinius ira et terrore affectus clamorem sustulit: «Siste!» stridula voce clamavit. «Nunc satis est! Statim desine! Sufficit! "Αλυσ! Statim deponas lagoenam in mensa neve ullam rem retractes, tenesne, ne ullam! Videor delirasse, ut



prorsus audirem stulta verba tua lapsantia. E modo tuo res tractandi, e tua rusticitate, e hebetudine tua crassa apparet te esse inutilem, barbarice inutilem, insuper procacem spurium spurcissimum. Tu ne limonatam quidem commiscere scis, ne aquam liquiritiae quidem vendere scis, ne dicam de myris! Laetare, gratus et contentus es, si siverit magister tuus te confundere ius coriarium! Ne iterum audeas, audin'? Ne iterum audeas transgredi limen alicuius myropoei!»

Sic Baldinius locutus est. Sed dum loquitur, cella circa se iam saturata erat fragrantia Amoris et Psyches. Est autem vis quaedam fragrantiae persuasoria, quae magis valet quam verba, aspectus, sensus, voluntas. Vis fragrantiae persuasoria non potest arceri, invadit in nos quasi spiritus in pulmones nostros, nos implet, integros explet, eius est nullum remedium.

Grenulius lagoenam deposuerat, manum myro tinctam de collo demiserat, et limbo vestis suae deterserat. Uno, duobus gradibus retro factis, eo, quod Grenulius Baldiniana invectiva scaevus collapsus est, aer sat vehementer exagitatus est, ut fragrantia modo creata diffunderetur. Plura non fuerunt necessaria. Licet Baldinius perrexerit queri et conviciari; sed omni spiritu hausto ira exhibita introrsum deminuebatur. Cum suboleret verba sua esse refutata, oratio eius versus finem non augebatur nisi vano turgore. Cum taceret, cum aliquantisper tacuisset, non iam eguit verbis Grenulii: «Perfectum est.» Sic quoque scivit.

Tamen, quamquam interim undique circumvallabatur aere Amore et Psyche gravido, accessit ad vetustam mensam querneam, ut myron probaret. Itaque extraxit recens linteolum denticulatum e sacco vestis suae, sinistro quidem, eidemque explicato inspersit nonnullas guttas pipetta longa e lagoena mixtoria extractas. Bracchio extenso linteolum circumagitavit, ut aeri adduceret, concinnoque motu exercitato naribus subduxit, fragrantiam sibi insugens. Cum eandem carptim effluere sinebat, consedit in sellam praealtam. Brevi ante ira incensus vehementer erubuerat - nunc subito prorsus expalluit. «Incredibile» submitte murmurabat, «per Deum - incredibile.» Iterum iterumque nasum linteolo imprimebat et nictulabat et caput quatiebat et murmurabat «incredibile». Hoc fuit myron Amoris et Psyches, procul ullo dubio, illud Amoris et Psyches, tam ingeniose compositum, ut sibi odio esset, tam accurate assimilatum, ut ne Pelissierus

ipse quidem hoc fabricatum distinguere sciret a suo proprio. «Incredibile...»

Magnus Baldinius sedebat in sella demissus atque pallidus, aspectu ridiculo linteolum manu comprehensum naso apprimens tamquam virguncula destillatione narium laborans. Nunc vox eum prorsus defecerat. Ne illud «incredibile» quidem dixit, sed continuo et submitte nutans et substantiam lagoenae mixtoriae inditam torpidis oculis aspectans nihil erumpebat nisi deformes sonos «Hm, hm, hm... hm, hm, hm... hm, hm, hm...» Aliquanto post Grenulius se appropinquans sine ullo sono ad mensam accessit.

«Hoc myron non est bonum», inquit, «permale compositum est, hoc myron.»

«Hm, hm, hm», Baldinius dixit nutans. Hoc modo non assensus est; sed profecto qua erat animi inopia et torpore, ad omnia nutans respondisset «hm, hm, hm». Perrexerit quoque nutare et murmurare «hm, hm, hm» nullo modo prohibiturus, ne Grenulius iterum inciperet commiscere, iterum spiritum vini ex amphora effunderet in lagoenam mixtoriam, addens ad myron eidem iam inditum, iterum liquorem olfactorioli nullius, ut videbatur, ordinis et quantitatis respectu, infundibulo ingereret. Extremus demum processus - Grenulius nunc lagoenam non quassit, sed leniter tantum huc et illuc agitavit quasi hyalum coniaci, sive respexit mollitiam Baldinii sive substantiam nunc pretiosorem esse putavit - nunc demum, cum liquor iam paratus in lagoena circumagitabatur, Baldinius e torpore expergefactus surrexit, linteolo tamen adhuc ad nasum appresso, quasi defensurus novum impetum contra animam suam factum.

«Paratumst, magister», Grenulius inquit, «nunc est fragrantia satis bona.»

«Etiam, bene, bene» Baldinius respondit abnuens manu libera.

«Nonne vis probare?» - Baldinius perrexerit gargarizare. «Nonne vis? Nullam probam?»

«Postea, nunc non sum dispositus ad probandum... alia muginor. Abi nunc! Veni!»

His dictis lucerna sumpta per ianuam transiit in tabernam. Grenulius eum secutus est. Venerunt in andronem angustum, qui ducebat ad introitum ministrorum. Senex calceis stridentibus ad portam aggressus repagulo retracto aperuit. Secessit, ut sineret puerum egredi.

«Licetne nunc mihi operari apud te, magister, licetne?» Grenulius interrogavit, iam in limine positus, iterum capite demisso. Oculis insidiosis.

«Nescio» Baldinius inquit «deliberabo! !!»

Tum Grenulius disparuerat, subito disparuerat, quasi tenebris devoratus. Baldinius autem constabat torpidis oculis tenebras



inspectans nocturnas. Dextra manu tenebat lucernam, sinistra linteolum, specie sanguine narium affectus, revera timore. Celeriter portam obseravit. Tum linteolo a facie ablato et in sacculum indito per tabernam in officinam rediit.

Fragrantia autem fuit tam mirabiliter bona, ut oculi Baldinii statim madefierent. Cum necesse non esset probam sumere, nihil faciebat nisi ad mensam fabrilem ante lagoenam mixtoriam constitutus respirabat. Myron erat magnificentum. Quod si cum illo Amoris et Psyche comparasses, tibi visum esset tamquam symphonia cum desolato violinae stridore comparata. Sed etiam plura valebat. Oculis clausis Baldinius commonefactus est rerum perquam sublimium. Spectabat se iuvenem ambulans per vespertinos hortos Neapolitanos; spectabat se brachiis inclusum pulchrae mulieris nigrorum cincinnorum, spectabat umbram fruticis rosarum in fenestrae antepagamento, per quod flabat ventus nocturnus; audiebat dissipatas aves canentes et e remoto cauponae portus modos musicos; audiebat susurros auribus proximos, audiebat 'te amo' sentiens se voluptate horripilare, nunc! Nunc in hoc momento temporis! Oculis raptim apertis voluptuose gemuit. Hoc myron non esse myron, quale usque nunc notum fuisset. Hanc non esse aliquam fragrantiam, qua res redderentur fragrantiores, non esse ἀρωμα, non esse mercem mundatoriam. Hanc esse rem omnino novam, qua

totus mundus novus creari posset, mundum magicum, uberrimum, quo homines statim obliviscerentur omnia taediosa sibi circumdata et sibi viderentur tam divites, tam validi, tam liberi, tam boni...

Capilli in brachiis Baldinii horrere desierunt, eiusdem animam subiit tranquillitas alliciens. Apprehendit corium, corium caprinum in margine mensae situm, quod cultro ad aptam formam secuit. Tum segmentis labro vitreo impositis superfudit myron novum. Laminam vitream labro superposuit, reliquam partem fragrantiae intravit duobus olfactoriis, ad quas affixit notas. In iisdem scripsit nomen Η ΝΕΑΠΟΛΕΩΣ ΝΥΞ. Lumine extincto abiit.

Supra cum uxore cenans nihil dixit. Imprimis nihil dixit de sanctissimo consilio a se post meridiem capto. Uxor quoque nihil dixit, nam cum animadvertisset eum hilarem esse, contenta erat. Ille autem non transiit ad ecclesiam Nostrae Dominae, ut Deo gratias ageret pro sua constantia. Ita, illo die primum oblitus est noctu orare. ☩

<sup>1</sup> **Fragrantia. Historia homicidae.** Fabula romana a Patricio (Patrick) Süskind Theodisce scripta a. 1985 sub titulo, q.e. «Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders», Turici Helvetiorum in Aedibus, q.s. Diogenes-Verlag, edita, a Nicolao Gross in Latinum conversa.

---

## TEXTUM ALCHEMICUM RARUM

PROPONIT STEPHANUS FEYE

**M**ulti, curiositate legitima moti, cum nonnullas symbolas de alchemia tractantes in Melissa legissent, me pluries interrogaverunt qualis esset scientia illa antiquissima catholica<sup>1</sup> tam saepe occultata per historiam nostram. Quare illis magis prodesse mihi videtur responsum offerre cuiusdam philosophi antiqui quamquam parum noti (nihil enim de eo, ut saepe fit, scimus) quam disputare secundum opinionem propriam meam. Praeterea optima est occasio in lucem proponendi textum quam rarissimum cuius photocopiam possideo. Nam agitur de editione principe Basileae facta anno 1571 Othoni Henrico Principi Palatino dedicata.

Titulus illius tractatus infra dabitur. Volumen autem duos quoque aliorum auctorum tractatus continet quorum unus *Garlandi* Angli (i.e. celeberrimi probabiliter *Hortulani* qui famosam Tabulam Smaragdinam Hermae Trismegisti commentatus est<sup>2</sup>). Liber autem noster extenditur usque ad paginam 203 ubi legere possumus haec: «*Certum est procul hinc arcere profanum. Hoc donum Dei praeclarum nullus habere potest, nisi mentem eius purificet erga Deum ipsum maximum, mente scilicet et corde puro ac simplicissimo.*»

Candido igitur lectori, duo prima huius tractatus capitula proponimus.

**Laurentii Venturae Veneti, artium et medicinae doct. de ratione conficiendi Lapidis Philosophici, liber unus. Ad Othonem Henricum Principem Palatinum cum privilegio Caesar. maiest. Basileae M.D.LXXI.**

«QUOD ARS ALCHEMIAE EST VERA.



ulti opinantur artem alchemiae non esse artem veram: ad quod moventur duobus fundamentis. Primo, quoniam dicit Aristoteles in libro 4 Meteoror. «Sciunt artifices alchemiae, species metallorum transmutari non posse». Secundo, quia vident omnes laborantes in hac arte non nisi sophisticas facere transmutationes, et neminem veras: quapropter existimant et credunt, quod cum a nullo fieri vident, vere et realiter a nullo quoque fieri posse.

Sed neutrum horum fundamentorum cogit artem hanc pretiosissimam et excellentissimam non esse veram. Non valet etenim primum adversariorum fundamentum: quoniam bene verum est, ut dicit philosophus Alphidius, ac Rosarius maior, quod species rerum non transmutantur, sed bene individua quarundam specierum ad invicem transmutari possunt. Et patet hoc ad oculum praesertim in his quae habent symbolum ad invicem in una vel in duabus qualitatibus, ut constat in elementis, et sic ex terra fit lapis, et ex ligno cinis, et ex cinere et lapidibus vitrum, etc. Sic quoque accidit in metallis: quoniam omnia metalla communicant in una materia, quae est argentum vivum cum suo sulphure. Et solum differunt metalla per maiorem vel per minorem digestionem, quae fit per sulphuris sui maturationem, mediante decoctione. Est enim sulphur forma metallorum et praesertim auri: non quidem sulphur vulgi, sed alteratum, ut dicit magister Bonus philosophus.

Ex his dictis colligitur, quod si per artem potest fieri medicina, quae habeat in se virtutem et proprietatem praedicti sulphuris mineralis alterati, talis medicina ab arte facta poterit metalla imperfecta et argentum vivum ad perfectorum naturam transformare. Propter quod Ioannes Scotus et multi alii philosophi dicunt et concedunt esse verum, quod metalla transmutari non possunt quocumque modo vel ingenio, nisi prius reducantur ad suam primam materiam.

Prima autem materia omnium metallorum est argentum vivum et sulphur, non quidem in natura sua, sed alterata, id est conversa in vaporem. Et sic prima materia metallorum est vapor humidus unctuosus, utriusque naturam, sui sulphuris et argenti vivi, in se continens. Ex his ergo necessario sequitur, quod si per artem potest extrahi huiusmodi vapor unctuosus ex his rebus in quibus est, et reperitur consimilis illi, qui in mineris terrae

generat metalla, poterit confici medicina, quae simplicia corpora imperfecta et supra argentum vivum proiecta perducatur in verum et perfectum corpus metallicum longius perfectum omni naturali.

Sed sciendum est, quod haec medicina ex quibusdam facilius et uberius, ex aliis vero difficilius ac imperfectius extrahitur, sive sint ipsa metalla, sive aliae quaelibet res. Sed hoc fieri non potest, nisi tales res prius per putrefactionem corrumpantur, et per debitam decoctionem ac longam digestionem aliam nobiliorem formam acquirant.

Secundum etiam fundamentum, quo argumentantur contra, non cogit, et ratio nostra est, ut inquit Geber in sua Summa magnae perfectionis Cap. XI in quo pertractat confutationem rationum, artem simpliciter negantium, et est, quoniam adversario in suo arguendi modo non cadit necessitas, qua quis ad pauca respiciens, coartatur credere artem hanc non esse veram; quia a simili, vel a maiore ad minus, suam corroborat phantasiam et errorem, in quibus non continetur necessitas, sed tantum contingentia ut in pluribus.

Amplius, certum est nostris temporibus, quod paucissimi reperiuntur philosophi, qui secreta naturae cognoscant, immo illa quaerere et cognoscere negligunt. Et ideo debitis operationibus res imperfectas meliorare et perficere nesciunt; et plerumque ignorant aptas ab ineptis, propinquas a remotis discernere. Et propter hoc multi deviant et desipiunt.

Veteres autem philosophi altioris erant ingenii et in operando studiosiores. Nam, ut ait Ludovicus Lazarelli, philosophi propter cognoscenda profunda secreta naturae ausi sunt aliquoties antra subire et in silvis ac montibus commorari, ut sollerti ingenio scrutarentur sidera, quas vires habeant, et quae loca terrae sint apta metallis, quae materiae, et quod discrimen in illis.

Et ideo ad ipsorum utilitatem, et suorum filiorum, hoc divinum magisterium per ipsorum longam investigationem inventum fuit, quia solum philosophi et eorum filii intellegunt vim naturae et eius dispositionem non ignorant.

Cum ergo multi et magni philosophi asserant hanc artem transmutatoriam posse fieri, ac plures libros in scriptis post se reliquerunt, iniquum est et stultum negare ipsam artem esse veram, etiamsi ulla ratio aut experientia non attestetur et comprobet. Propterea bene dixit Morienus, quod multa distantia est inter sapientem et insipientem, et inter caecum et videntem, et idem est iudicium inter male operantem et nescientem. Concluditur ergo ex his, quod haec ars est vera.

QUOD NON OMNES QUI CREDUNT ARTEM VERAM ESSE,





SCIUNT EA UTI, ET SECUNDUM EAM OPERARI.

**S**unt vero qui credunt firmiter hanc artem nobilissimam veram esse, sed utrum vera sit experiendo non attentaverunt, nec probare sciunt. Credit quidam eorum qualitercumque debilis, et probabiliter veritati consentit et adhaeret, aut multitudine dictorum, aut magnitudine auctorum, sed convictus pugnae cedit. Est autem una res, quae omnes ad credendum facile trahit, scilicet habendi cupiditas et voluptatum aviditas. Sola enim voluptas cupidus maxime facit. Dicit enim idem Ludovicus Lazarelli philosophus: homines terrenis deliciis dediti ante omnia terrenas delicias optant, et ad eas comparandas nihil operis vel laboris praetermittunt iuxta illud Vergilii vatis eximii:

*Quid non mortalia pectora cogis  
Auri sacra fames.*


Quia ergo homines universi quaerunt delicias, et ut quantum possunt bene beateque vivere valeant, omnes fere huius mundi deliciae maxime per divitias haberi possunt, iuxta illud commune adagium, Pecuniae oboediunt omnia; et philosophus in V Ethic. dicit: Ad hoc nummus inventus est, ut sit quasi fidei iussor habendi pro eo, quodcumque homo voluerit.

Maximae autem divitiae per huius artis magisterium pollicentur, ut pote verum aurum et verum argentum et utrumque multum sine magno labore, e quibus nummi figurentur, per quos omnia habeantur; idcirco homines scientes et non scientes facile credunt et probando affectant acquirere.

Sunt tamen pauci qui laborando artis veritatem attingant, cuius rei ante praecipua exposita est causa, scilicet secretorum ignorantia et studendi negligentia. Est quoque huius specialis ratio duplex: prima metaphorica locutio. Dicit Avicenna: Consideravi libros affirmantium artem, et inveni eos vacuos rationibus vel ratiocinationibus quae sunt apud omnem artem, et repperi plurimum eius quod in eis continetur, alienationi simile, id est, metaphorae seu similitudines; sed cum ego me reduxi ad principia naturalia, cognovi tunc artem veram esse. Secunda est falsorum cum veris commixtio; unde Arnaldus ait in suo testamento: Philosophi duplicem modum in suis libris posuerunt. Unum verum et alium falsum: verum autem per verba obscura, ut nisi a filiis doctrinae possent intellegi, ne impiis scilicet, via agendi profana daretur, falsum vero sub verbis inintellegentibus posuerunt. Et hunc communiter sequuntur operantes in mercurio, sulphure, arsenico et etiam in ipsis corporibus, et nihil invenerunt.

Sunt igitur plurimi qui in hac arte laborant in vanum, quia nec proprio ingenio possunt invenire

opportuna, nec aliorum sententiis veram intellegere et extrahere queunt. Aut enim peccant in debita materia, aut in inconvenienti operatione. Quare consulendum est talibus, ut aut ab operando manus suas suspendant, aut libros diligentius legant et lecta plenius intellegere studeant, unde in libro Saturni dicitur: Philosophi non scripserunt libros suos, nisi filiis suis, et filios eorum voco, qui perfecte intellegunt dicta eorum et non secundum litteram. Nam operatio secundum intentionem litterae est dissipatio divitiarum et temporis perditio.»



*«Lapis, ut infans, lacte nutriendus est virginali»  
Pagina excerpta e libro c.t. Processus sub  
forma Missae a Nicolao Melchiore Cibirnsi  
(alias Nicolas Melchior de Szeben, XVI saec.)  
Transilvano, ad Ladislaum Ungariae et  
Bohemiae regem olim missus, ed. Archè,  
Mediolani 1976.*

#### ADNOTATIONES

- <sup>1</sup> Sive «universalis». Nam hac voce utor sensu traditionali evidenter, etsi illustres ingeniosique auctores optime demonstraverunt ritum Missae Catholicae Romanae antiquum (i.e. ante in usu quam novissima reformatione modernista Vaticana laberetur) scientiae re vera fuisse vestigium alchemicae ex Aegyptiaca hereditate ortae. Cfr, exempli gratia, periodicum c.t. «Le Fil d'Ariane» fasc. 59-60 p. 20 (rue des Combattants, 27, B-1457 Walhain-st-Paul). Vide quoque imaginem hic appositam.
- <sup>2</sup> Vide: E. d'Hooghvorst, Le Fil de Pénélope, t. II (N.B.: tomus ille nuper editus est), Parisiis, La Table d'Emeraude, 1998, p. 121.

# DE ITINERE ROMANO

NARRANT QUATTUOR DISCIPULI FLORENTINI

*Relatio itineris Romani, quam hic estis lecturi, mense Maio recitata est in Circulo Latino Florentino a Iara De Leo, Laurentio Matteuzzi, Alberto Catelani et Laura Deotti discipulis Paulae Marongiu. Quibus discipulis eo magis est de stilo Latino gratulandum, quod usque adhuc nisi fallimur solum tres annos sunt Latine instituti!*

**A**nte diem quintum decimum Kalendas Apriles classis mea cum classe secunda littera D signata, tribus magistris e nostris comitantibus, Romam antiqua monumenta, id est Forum Romanum, Collem Palatinum, Amphitheatrum Flavium visendi causa automato pulmaniano profecta est. Circiter hora sexta et semihora profectio nostra evenit, paulo post horam constitutam prae nonnullis, qui sero advenerant, quorum nomina tacere melius est, a platea Victoriae, ante nostram scholam sita. Iter longum nec nimis taediosum fuit; nam unusquisque aliquid ad tempus consumendum secum tulerat ut e.g. radiophona, phonocasetarum excipula, chartulas lusorias ad ludendum cum amicis iuxta sedentibus. Praeterea in itinere cum alterius classis alumnis quoque per multas horas continenter fabulari potuimus, itaque melius inter nos cognoscere. Praeter alia Latine cecinimus cantica et Carmina Burana cum magistra nostra linguae Latinae, quae ad bene canendum nos ducebat. In via ad Urbem breviter constitimus in caupona autocinetistarum ad ientandum et post fatigans iter ad paululum quiescendum. Hora decima et dimidia pervenimus in Romae suburbium et post semihoram, fere, in Forum Romanum. Nobis discedentibus de automato pulmaniano nostra mira excursio inceptit.


(Iara De Leo)

## De Foro Romano

Forum Romanum primo palustris vallis erat inter Collem Quirinalem, Viminalem, Palatinum, Capitolium, Veliensem clivum. In hac regione parva flumina fluebant, inter quae unum quod, iam inde a Romae primis temporibus canalibus directum, Cloaca Maxima facta est et qua ad vallem siccandam Romani usi sunt. Locus mox frequentatus est ab incolis collium, qui circa erant, ad mercatus

causa conveniendum; dictus est *forum*, fortasse e *foras*, quod extra urbem erat. Postquam propinquorum collium civitates in unius civitatis corpus coaluerunt, Forum, defensum a communi arce Capitolii, factum est centrum Romae et sunt aedificia publicis domesticisque rebus destinata, id est tabernae et basilicae, loca conveniendi et publicorum munerum. Temporibus rei publicae mercatus migraverunt in Velabrum et in loca proxima et in Foro sublatae sunt sedes conciliorum senatus populique, aedificia ubi ius reddebatur, templa et monumenta honoris causa facta. Sub finem rei publicae praestituta rei exstructoriae urbis temperatio, a Caesare cogitata et ab Augusto perfecta, inceptit mutationem fori in urbis monumentorum sedem.

Postea migrata magna parte vitae iudicialis et iis quae ad administrationem pertinebant in fora imperatoria et in alia loca, antiquum Forum momentum suum amisit. Damnum accepit tempore imperatoris Carini anno 283, restauratum est a Diocletiano, sed saeculo IV exeunte passum est Romae ruinam, etiam barbarorum irruptiones. Ultimum monumentum ibi sublatum columna fuit ad honorem Focae, Byzantini imperatoris, anno 608. Postea Forum fuit aedificiorum ruina et terrae cumulus. Super stabiliora rudera barones mediae aetatis aedificaverunt arces suas et ibi praeterea exstructae sunt nonnullae ecclesiae. Deinde, media aetate et etiam magis aetate qua litterae artesque renatae sunt, inter rudera collocati sunt furni ad calcem faciendam in quibus deletae sunt




Discipuli oratiunculam legentes: Iara De Leo, Laura Deotti, Laurentius Matteuzzi, Albertus Catelani

singulae architecturae partes et plurima opera artefacta. Postremo locus factus est pascuum armentis et appellatus est *Ager vaccinus*.

Studium antiquitatis monumentorum, quod incepit Romae tempore Colae Di Rienzo, aedificia non potuit servare, quod cultus praeteriti temporis menti incitationi fuit ad nova opera, quae antiquorum exstructa sunt rudibus.

Saeculo XVIII exeunte inceperunt effossiones Fori, sed investigationes ratione factae, (quae etiam nunc continuantur) fuerunt solum saeculo XIX (ab anno 1898) Iacobo Boni duce qui usque ad strues primae Romae penetravit.

(Laurentius Matteuzzi)



#### *De lustratione Fori Romani.*

In Foro Romano primum Carcerem Mamertinum visitavimus qui constat e duobus conclavibus altero altero superpositis. Ibi Iugurta, socii Catilinae, Vercingetorix necati sunt et, ut narrant, Sanctus Petrus clausus est. Inde adivimus Templum Saturni, quod erat veneratissimum, ubi Saturnalia celebrabantur et ubi aerarium servabatur; postea visimus Curiam, locum ubi senatus congregari solebat. Curia in ecclesiam conversa est ab Honorio I pontifice; deinde Sepulcrum Romuli, quod habet quadratam speciem lapide nigro tectam; illic inventa est antiquissima inscriptio Latine nobis nota, id est saeculi VI a.C.n. Inde ivimus ad Rostra, quae erant locus ubi oratores loqui solebant, ante quae duo discipuli partem brevem Ciceronis orationis IV Philippicae contra Antonium recitaverunt; inde ad Basilicam Aemiliam, a viris ex Aemilia stirpe exstructam, e qua nomen cepit. Non longe abest Templum Iulii Caesaris, quod aedificatum est ab Octaviano eodem loco ubi Caesaris corpus crematum erat et ubi Marcus Antonius clarum illius testamentum legerat. Post Arcum Augusti, anno 29 a.C.n. exstructum, mirati sumus Dioscurorum Templum, ab Aulii Postumii dictatoris filio positum, ut votum solveret, quod

pater fecerat bello contra Latinos saeculo V ineunte gesto. Quo visitato, paululum ante Regiae fundamenta morati sumus; Regia erat locus ubi Pontifex Maximus muneribus suis fungebatur et ubi tabulae pontificiae, quae Annales continebant, custodiebantur. Postremo nos receperunt Domus et Templum Vestae, in quo ignis sacer a Vestalibus, virginibus a Pontifice Maximo electis, servabatur.

(Albertus Catelani)

#### *De colle Palatino*

Palatinus est collis altus fere quinquaginta metra supra libram maris et quadraginta metra supra planitiem Fori. Habet formam trapezii, cum latere longiore a meridie.

Collis ab antiquis dividebatur in Palatium, medio culmine gradatim descendens a meridie ad Tiberim, et in Veliam, saltum qui coniungit Palatinum cum Esquilino ab oriente. Verisimile est nomen antiquius *Palatium* coniunctum esse cum *Pale*, pastorum dea, cuius ad honorem celebrabantur *Palilia*, postea facta sacra anniversaria urbis aedificationis, quam historia publica Romana statuit a.d. undecimum Kalendas Maias anno 753 a.Chr.n. Rudera tuguriorum eruta et primum urbis sepulcretum confirmant tempus saeculi VIII. Tamen ante colonos Latinos fortasse alii populi hanc regionem coluerunt. In Palatino orta est Roma quadrata, quae extensa est ad alios vicos propinquorum collium. Iuxta templa et publica aedificia in colle exstructae sunt etiam privatae domus illustrium civium, Tiberii Gracchi, Crassi, Ciceronis, Clodii. Augustus ibi domum suam aedificavit, iuxta quam postea sublatae sunt domus Tiberii et Flaviorum, quae fuerunt Domus Augustana, id est principum sedes. Magis magisque imperatoribus a Roma absentibus et urbe ruente, etiam Palatinum concidit, quamquam regum Gothorum et exarchorum Byzantinorum publica domus fuit. Ibi incoluerunt etiam pontifices et imperatores novi Imperii Occidentis, usque ad Othonem III. Post annum millesimum inter et supra antiqua rudera, sublata sunt monasteria, ecclesiae, nobilium arces: maxime Frangipane ibi dominati sunt in castello supra antiqua rudera aedificato. Saeculo XVI magna collis pars conversa est in amoenam sumptuosamque *Villam Farnesianam* et *Horti Farnesiani* primus hortus herbarius orbis terrarum fuerunt.

Saeculo XVIII mediante inceptae sunt effossiones, sed recta exploratio antiquorum monumentorum facta est tantum insequenti saeculo.

(Laurentius Matteuzzi)

Postquam Forum Romanum obiveramus, multa fatigatio et fames erat nobis, qua de causa ad collem Oppium contendimus ad prandium

subdivale sumendum.

Unusquisque nostrum multa et delicatissima pastilla tulerat. Ibi, ubi mansimus circiter duas horas, mares pila luserunt in magno campo pediludii; feminae autem aliae in herba recubuerunt, aliae circumcirca deambulaverunt; locum circumspicientes, intelleximus spurcicia squaloreque hunc collem male servari, quamvis in media urbe esset.

Hora quinta decima Amphitheatrum Flavium petiimus quod nunc Colosseum vocatur et prope a colle abest. In hoc amphitheatro, imperatore Tito regnante inaugurato, ut inter omnes constat, praebebantur multa spectacula gladiatorum, nec non venationes et naumachiae, saepe Christiani damnati contra bestias certare coacti sunt. Postquam per semihoram admirati sumus monumentum, in parva platea circa Colosseum consedimus. Alii gelidam sorbitionem ederunt, alii imagines luce expresserunt cum iucundis viris qui

vestibus centurionum induebantur. Postremo aegre pulmanianum automatam conscendimus, cogitantes iucundum iter finem habuisse, quamquam circa tres horae nobis exstabant ad delectandum. Nam, quamvis lassi et somniculosi, incepimus magna voce canere et musicam auscultare; interdum aliquis facetias dicebat, et omnes vehementer ridebamus.

Interea alius edebat, alius chartulis lusoriis ludebat, alius magna voce fabulabatur.

Plerique nostrum musicam audiebant et solum pauci frustra quiescere conabantur.

Itaque magnus erat strepitus et sine dubio professores atque autocineti rectorem molestia afficiebamus; sed satis constat magnopere nos delectatos esse. Hora nona tandem Florentia nos recepit.

(Laura Deotti) ☞

---

## DE CATERVA MUSICA TUVANA HUUN-HUUR-TU,

### QUAE IN FINNIA CONCENTUM HABUIT

SAULUS HEIKKILÄ & SAMIUS JANSSON NARRANT

**H**uun-Huur-Tu nomen suae catervae sua lingua litteris Cyrillicis scribunt XYH-XYPTY [hyn-hyrty], quod significat «lumen post horizontem finientem radians instanti sole orienti aut occidenti». Quod optime describit supersonos, qui in cantu gutturali audiuntur! Huius radiationis calorem in natura Finnica tandem sentire potuimus, cum caterva Huun-Huur-Tu festum musicum, cui nomen Tampereen Sävel (id est, Vox Tamperensis), diebus 8.-9. Iunii mensis visitaverunt.

Admodum incitati in aeriportu Tamperensi catervam musicam, quae, quod ad cantum gutturalem attinet, sine dubio hodie maximi est momenti, exspectavimus. Cantores Sibiriani ex aeroplano egressi ridebant et generaliter expedite se praebebant neque multum inquieti videbantur ex eo, quod Finnair haud omnes res itinerarias eis eodem vespere ad oppidum portavit; postea tamen eaedem in aeriportu Helsinkiensi repertae celerrime ante concentum Tamperem portatae sunt.

Aliquanto post et eodem vespere Tuvani

transportati sunt ad domum patriam meam (Samii), ubi occasionem habuerunt in sauna Finnica lavandi et eandem Russicae comparandi. In sauna patris, quae ad lacum Ryydynpohja sita est, iam etiam de cantu gutturali deque vita catervae cum cantoribus collocuti sumus.

Imprimis inquirere voluimus, an verae essent famae, quas de cantu gutturali iam diu vagari nobis cognitum est. Num interdictum fuisset hōmei-cantu cantare sub vim Sovieticam? Saian Bapa: «Miramur» inquit, «cur talia nos rogare velitis. Quonam modo aliquis impediri possit, quominus cantet et animum suum exhibeat? Fieri potest, ut aliquis, ne palam doceat neque sermonem faciat, interdicatur, nemo autem, ne cantet, prohiberi potest.» Se in concentibus publicis iam de tenero ungui cantum gutturalem audivisse, et plus viris in hoc cantu inesse quam in iis motibus, qui eum suffocare conantur. Nonnullos cantores interfectos et quaedam instrumenta musica deleta esse, cantum tamen gutturalem semper sibi novas vias aperuisse. Post bella proxima mundana non multum afuisse, quin cultus localis Tuvanus cultui

Sovietico superbo subiectus fere supprimeretur. Si vero omnes Tuvani ad unum interfecti essent, tamen ultimum ex iis in lecto morientem hõõmei-voce ante mortem certe murmuratum fuisse. Tuva ad secundum bellum mundanum nullo alieno imperio subiecta erat; res enim publica Tuvana libera erat sub annis 1931-1940 et Tannu Tuva appellabatur. Illa aetate Tuvani validissimam confidentiam praebentes suum proprium cultum et suam gentem maximi aestimabant.



Cantores catervae Huun-Huur-Tu suam patriam cantui gutturali cunabula esse existimant. In fabula quadam vetere gentem certam olim Tuvam habitavisse et iam ante plurima milia annorum hõõmei-cantui studuisse traditur. Hanc artem inde etiam in alias partes Sibiriae vagatam esse et usque ad Sardiniam, atque proinde hõõmei-cantum Tuvanum ubique maximi aestimari; hodie plurimas gentes Sibirianas et Mongolicas radices, quae iam diu perditae sunt suo proprio hõõmei-cultui, per Tuvanum cantum indagare Saian concludit.

Quamvis variae culturae musicae hodie inter se implicentur, caterva Huun-Huur-Tu ex eo non perturbatur, dum sibi persuadere valeant, ut natura cantus semper servetur. Ita etiam in novissimo CD-disco, quem fecerunt, talia instrumenta ut tabula Indica et prorsus synthetizatum involuta sunt. «Tuvani semper nova instrumenta artificiose usurpaverunt eaque ad propria sua proposita designaverunt. Conventus cum aliis gentibus saepe bonos fructus ferunt, multa tamen instrumenta a Tuva fere amissa sunt, sicut shoor sive tibia pastoris, quae ex herbarum caulibus tubulosis fit», dicit Bapa.

Quicumque iam plurimos CD-discos hõõmei-cantum Tuvanum continentes audivit, sine dubio iam cognovit easdem cantiones et melodias iterum atque iterum repeti in cantu Tuvana. Huun-Huur-Tu se tempus satis admodum trivisse Tuvam circumvehentes ad veteres cantiones colligendas narrant. Catervas Tuvanas, ubi aliorum cantiones

audiant, optimas ex iis ad suum etiam programma mutuari, ut suo proprio modo cantent. Materiam enim musicam Tuvanam sine ullo impedimento ab omnibus adhiberi licere.

Hõõmei-cantus olim et adhuc iuxta veterem traditionem a cantoribus solitariis cantatur, e quibus singuli suum proprium ex multis hõõmei-modis percolunt. Kaigal-ool Hovalig, Alexander Bapa, frater huius Saian Bapa, et Albert Kyvezin a traditione differentes anno 1992 catervam musicam fundaverunt et huic nomen dederunt Kungurtuk et data opera Tuvanum cantum antiquum colere inceperunt. Postea novum nomen XYH-XYPTY a caterva assumptum est, hoc autem mox ab officina CD-discis producendis, cui nomen Shanachie, occidentalem in scribendi formam Huun-Huur-Tu mutatum est.

Huun-Huur-Tu totum mundum capere incepit anno 1993, cum auctor et Tuvanarum rerum studens Rodolphus (Ralph) Leighton atque ethnomusicologus Theodorus (Ted) Levin hos cantores ad Civitates Foederatas Americae Septentrionalis traduxerunt una cum caterva musica Tuvana nationali, cui nomen Tuva Ensemble. Rodolphus Leighton ceterum iam antea «patruus Americanus» Tuvanorum factus est, cum rebus Tannu-Tuvanais cum physico Nobeliano Ricardo Feynman sub initium decennii 1980 studere incepit. De hoc instituto accuratius in libro, cui nomen «Tuva or Bust!», narrat. Plurimi clarissimi cantores et catervae musicae Americanae, sicut Francus Zappa, Raemundus (Ry) Cooder, Principes (The Chieftains), Cronos Quattuor Cantores (Kronos Quartet) etc. hoc mirabili cantu Sibirico capti maxime cum cantoribus Sibiricis communicare studuerunt, quod effecit, ut haud parvus numerus novorum CD-discorum editus sit.

Duobus annis post duo cantores catervam reliquerunt, e quibus primus est Finnis satis notus Albertus Kyvezin, qui concertus habebat, cantum gutturalem docebat suosque primos etiam CD-discos cum sua nova caterva, cui nomen Yat-Kha, in Finnia Centro Cantus Mundani (Maailmanmusiikikeskus) administratus fecit. Alter ex iis, Alexander Bapa, ad nuper ortam catervam, cui nomen Tzivgiltzin (Latine «Species falsa», id est, species aquae, quae supra calidam harenam sole ardente nonnumquam videtur), administrandam operam dare incepit. His musicis, ut numerus cantorum in caterva Huun-Huur-Tu quattuor maneret, Anatolius (Anatoli) Kuular, borbangnadir-cantus peritus, et iuvenis Alexius (Alexei) Sariglar, instrumentorum concutiendorum Tuvanorum et sigit-cantus peritus, substituti sunt.


Dehinc Huun-Huur-Tu ad concertus fere ubique in mundo habendos tempus dant, officinas CD-discis producendis visitant ad modos musicos recipiendos, ubi aliis muneribus vacant. Quattuor

proprios phonodiscos et plures cum aliis musicis communicantes fecerunt. Nonnumquam etiam cum choro muliebri, cui nomen Voces Bulgaricae, et caterva musica, cui nomen Moscow Art Trio, palam concentus habent. Hoc autumnno Huun-Huur-Tu cum et sine his Europam, Iaponiam et Australiam circumvehuntur; index spectaculorum infra proponitur. Domum redire haud ante Novembrem mensem se posse arbitrantur.

Kaigal-ool Hovalig ut pastor ovium per viginti et unum annos primos vitae suae inter suos agebat. Quod iam ea aetate maximi aestimatus hōōmei-cantor erat, ad Tuvanam Catervam Nationalem participandam invitatus est. Itaque Kaigal-ool in Kizilem, caput Tuvanum, migravit. Anno 1993 Nationalem Catervam reliquit, ut particeps catervae Huun-Huur-Tu fieret, interdum autem alias etiam catervas musicas visitavit, sicut Vershki Da Koreshki et World Groove Band. Kaigal-ool ingeniosissimus cantor catervae Huun-Huur-Tu est. Praecipue sua animata, trementi, bombilanti hōōmei-voce ab aliis distinguitur; saepissime et in concentibus et in phonodiscis prima voce cantat. Instrumentum ei musicum, quo saepissime utitur, est igil, sive viola Tuvana duobus chordis ex fasciculis equi setarum parata.

Saian Bapa, qui moderate Anglice loqui scit, orator catervae in Occidente est. Sibiriani enim melius Russice quam Anglice loqui solent praeter scilicet linguam suam patriam. Saian in parvo oppido, cui nomen Akdavurak, natus est. Musicis rebus in Caucaso eruditus per septem annos particeps catervae Russicae jazzica-rockicae contrabasso canebat. Initio decennii 1990 in Tuvam rediit, ubi suorum cultui studere et cantiones maiorum electricis instrumentis canere et mox etiam vocem gravissimam Tuvanam, scilicet cārgīra-vocem, exercere incepit. Hodie omnibus tribus praecipuis modis, id est, hōōmei-, sīgīt- et cārgīra-vocibus, cantat, sicut omnes hōōmei-cantores Tuvani. Mox caterva Huun-Huur-Tu orta est et Saian in ea cithara, morin huur-, igil-violā et aliis instrumentis Tuvanā concinit.

Etiam Anatolius Kuular iuvenis ut pastor ovium vivebat. Praeter catervam Huun-Huur-Tu, etiam cum altera caterva, cui nomen Khomus Ensemble, circumvehitur. Khomus nomen est parvo ferreo instrumentulo, quod ante dentes ponitur. Anglice dicunt «Jew's Harp» sive «Lyra Iudaica». Praeterea Anatolius byzaantzy-violā concinit; haec est violina quattuor chordis parata, inter quas setae arcus canendi semper implicatae manent. Forsitan ea condicione cogitetis nullo instrumento cani posse? Optime vero fit, quod unusquisque observare poterit, ubi tantum videat, Anatolius quomodo faciat; Anatolius praecipue borbangnadir-voce cantare solet, quae sonum fluminis in mentem revocat.



Alexius Sarıglar maxime iuvenis cantor catervae Huun-Huur-Tu est: anno 1995 particeps factus est. Antea classicae et populari arti concutiendi studebat in urbe, cui nomen Ulan Ude, et catervae, cui nomen Siberian Souvenir (Monumentum Sibiricum), particeps per aliquod tempus versabatur. Alexius magno dynggyr-tympāno aliisque instrumentis concutiendi Tuvanā concinit, sed etiam igil- et morin huur violis peritus est, et sīgīt-voce cantans audientes semper obstupefacit.

Concentus Tamperensis Huun-Huur-Tu in Taberna Portitorum (Tullikamarin Klubi) habitus est. Cantores amplissime igil-violis, hōōmei-vocibus, khomis (lyris Iudaicis), aliisque instrumentis, quibus, sicut etiam vocibus suis, mirabiliter sonos naturae Sibiricae imitantes et pentatonico musico, qui proprius modus musicalis in Asia Media est, aures nostras delectabant. Nos facillime imaginabamur nos ipsos revera per taigas et campos gramineos vadere, ita et ad flumina sedere a variis animalibus et avibus circumdatos et ventum mollem Sibiricum simul circa aures et trans cutem flare, quoties ibi oculos clausimus. Infeliciter aer in taberna fumo, ut fieri solet, commixtus erat et per noctem plus et plus calescebat, quod, ubi diutius quam per duas horas versati sumus, mihi saltem capitis dolorem effecit. Hoc autem minimi habui: nihil enim mihi gaudium eripere potuit, cum hanc catervam Sibiricā ante proprios oculos et circa proprias aures sentiendi mihi tandem occasio praebita est!

Huun-Huur-Tu cantiones, quae nobis, qui eorum phonodiscos saepissime audimus, bene notae sunt, cantaverunt; aliquoties vero occurrit quibusdam, num semper easdem omnes iterum cantent, sed simul, quia tam subtiles et pulchrae sint: quis dicat se eas satis audivisse?



Cantores catervae Huun-Huur-Tu sicut nomades antiqui Sibirici orbem circumvehi pergunt sua instrumenta secum portantes suaque somnia naturae Sibiricae hominibus revelare parati. De uxoribus et liberis suis, qui in Tuva manent, hi viatores musicales se quotidie recordari narrant neque prius quam mense Decembri huius anni sibi occasionem domum revertendi futurum iri.

In interreti imagines videre et voces audire etc. licet:

<http://www.huunhuurtu.com/index.html> vel

<http://www.jyu.fi/~sjansson/huunhuurtu.htm> vel

[/~sjansson/finnishthroat.htm](http://www.jyu.fi/~sjansson/finnishthroat.htm).

#### BREVITER DE CANTU GUTTURALI

Iam cantum gutturalem in *Melissa* 81 tractavi; repetitio autem mater studiorum, sicut professor Tuomo Pekkanen saepe dicere solet. Cantus gutturalis hōōmei in Asia Media vocatur et in varios submodos dividitur. Hōōmei a cantu ordinario in eo, quod hōōmei-cantor pluribus simul vocibus cantat, distinguitur. Cantor vocem paulisper constringit et efficit, ut haec mutata vox in variis concavis spatiis naturalibus, quae unusquisque in suo capite et corpore habet, variis modis resonari incipiat. Ita gravis vox et acuta simul audiri possunt. Inde hōōmei sive cantus gutturalis etiam nomen, quod est cantus diphonicus, cepit. Itaque, si bene ratiocinamur, quattuor cantores simul octo vocibus cantare valent. Omnes etiam simul et simili ratione plurimos sonos ex instrumentis eliciunt.



INDEX SPECTACULORUM, in quibus caterva Huun-Huur-Tu auscultari potest:

Nov. 10 in Francogallia: Cannes (French JARO rep. A Portée de Voix; tel. +33-1-4363-2380)

Nov. 19 in Francogallia: Lyon

Nov. 20 in Francogallia: Firminy/ Le Corbusier Arts

Center

Nov. 26-27 fortasse in Armorica

Nov. 28 - Dec. 12: duae septimanae in Germania (agent Jaro)

Dec. 2 fortasse Hamburg / NDR (radio concert)

Dec. 5: Schwäbisch Hall / Club alpha 60

Dec. 10 Borken (fortasse)

Dec. 12 in Batavia: Enschede

Dec. 19 in Batavia: Vlissingen

Feb. 8, 2000 Northampton, MA - Iron Horse

Feb. 11, 2000 Montréal, Québec - Salle Pierre-Mercure

#### DISCOGRAPHIA

Ecce index CD-discorum in quibus caterva Huun-Huur-Tu vel aliquis ex iis cantat:

- Bulgarian Voices Angelite, Huun-Huur-Tu & Sergei Starostin: *Fly, Fly My Sadness*; JARO 1996.
- Bulgarian Voices Angelite & Moscow Art Trio with Huun-Huur-Tu: *Mountain Tale*; JARO 1998.
- Geronimo: *An American Legend*; Original Motion Picture Soundtrack, arranged by Ry Cooder; Sony Music, 1993.
- Huun-Huur-Tu: *60 Horses In My Herd*; Shanachie 1993, JARO 1996.
- Huun-Huur-Tu: *The Orphan,s Lament*; Shanachie 1994, JARO 1997.
- Huun-Huur-Tu: *If I were Born An Eagle*; Shanachie 1997, JARO 1998.
- Huun-Huur-Tu: *Where Young Grass Grows*; Shanachie 1999.
- Kronos Quartet: *Night Prayers*; Elektra Nonesuch CD:s, Warner Music 1994.
- Tuva, *Among the Spirits*; Sound, Music and Nature in Sakha and Tuva. Smithsonian/Folkways Recordings 1999.
- Tuva: *Voices from the Land of the Eagles*, Pan Records, 1991.
- Tuva: *Voices from the Center of Asia*; Smithsonian/Folkways Recordings 1990.
- Vershki da Koreshki, *Real Life of Plants*; Long Arms Records & GreenWave International & IMA-press publishers 1996, Shanachie 1997.
- Volkov Trio, *Much Better*; GreenWave International Records, 1998.
- Zappa, Frank: *Civilization Phaze III*; Zappa 1995.

# DE MUNERIBUS SERVORUM (IX)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

## PONDUS ERUDITIONIS (II)

**N**e discipuli inerti sederent domi aut in paedagogio, laboribus corporalibus insuper exercebantur aut exercitationibus ingenii. Maximam partem agebatur de infantibus, quorum parentes primo a.C.n. saeculo e regionibus Graecissantibus in Italiam venerant, qua de causa mirum non est grammaticos et philologos consuetudines habuisse hominum ordinum superiorum - et quae cum ita essent, clientes dominorum habebantur. Nihilominus multi tales servi manumitti nolebant, quia - propter bonas cum domino rationes - familiae domini adiudicabantur. Romani autem decursu temporum magis magisque libertos praeferebant, quia obligatio alimentorum vestimentorumque libertis praebendorum non iam exstabat.

Quod attinet ad tachygraphos: discipuli artem tachygraphicam discentes multos per annos erudiebantur. Patribus talium quoque infantium contractus commerciales erant paciscendi cum magistris quorum institutionis pretium 120 erat drachmarum, quae diversis ratis sive pensionibus erant persolvendae. Magnum erat programma talis institutionis, cum multa elementa tachygraphica iuvenibus essent discenda, qui institutione finita mittebantur in munera tamquam procuratores, scribae, stenographi, librarii, tabularii, amanuenses, dispensatores. Valor currens eorum praecipue in mercatura mancipiorum erat ingens, cum maximi essent momenti in grapheocratia imperatoria.

Medici et servos curabant et ingenuos. Unicuique licebat professionem exercere, ea de causa erant qualificati. Boni medici artem exercebant medici suam in exercitu, in gladiatura, in paedagogiis, magnasque postulabant pecunias. Non omnibus civibus ergo aditus erat ad medicum. Medico ius iurandum erat praestandum se abstenturum esse ab actionibus sexualibus quoad feminas et servos. Usque ad secundum a.C.n. saeculum medici viri erant Graecissantes, praecipue ergo agebatur de peregrinis. Mirum non est Romanos illam professionem nullo modo aestimavisse. Senatores suos consultabant medicos servos aut medicos amicorum cum illorum tractatio esset gratuita (M. Finley, *Die Sklaven in der Antike, Geschichte und Probleme*, 1981, pp. 126 sqq).

Medici «adiutoribus» utebantur servis semi-eruditis, qui actiones gestusque locutionesque imitabantur medicorum. Per urbanitatem «medici» vocabantur ab aegrotis. Romani tales medicos servos non aestimabant, quia professionem ab illis exercitatum Romano dignam non habebant. Illi «mediastini» qui vocabantur in valetudinariis servorum excolebantur, ubi peritiam sibi necessariam acquirerent.

Nonnulli medici artem medendi decursu sex mensium docebant magnasque opes tali modo sibi congerebant; agebatur quodammodo de degeneratione professionis. Mirum ergo non est Domitianum imperatorem talia interdixisse, cum ingenuos Romanos a servis curari nollet; itemque interdixit ne servi iudicis professione fungerentur. Ceterum et medici et magistri fruebantur praerogativa: dono civitatis.

Inde a secundo p.C.n. saeculo medici servi et iudices servi non iam inveniebantur.

Tiberio imperitante paedagogia instituebantur, in quibus non solum infantes ingenuorum educabantur, sed etiam proles servorum. Agebatur de infantibus 12 usque ad 18 annorum. Illi paedagogiani ibi discebant quomodo cibi essent apponendi, quomodo dominum comitarentur, etc.

Post duodevicesimum vitae annum non solum in conviviis et comotationibus serviebant, sed etiam ad munera in grapheocratia imperatoria ascisciebantur. Ab optimis medicis curati, ab optimis magistris instituti, bene vestiti, bene nutriti, bene compti ab ornatoribus servi publici erant capillati, oppexus eorum coma in gradus formata erat. Guttum, pateram aut canistrum ac umbellam gestabant manibus longasque lances. Ministrae capillatae zona cingebant vestimentum, guttum, pateram, vas seplasio repletum gestabant.

Capilli longi eorum non erant insigne ethnicum, sed iuventutis. Praecipue in conviviis serviebant et in potationibus. Capilli longi illorum puerorum formosorum et bellorum conferebant ad «physiognomiam femineam». Quaedam incertitudo causa erat pulchritudinis eorum, praecipue si genae eorum lanugine erant obtectae, i.e. barba incipiente. Tales pueri persaepe deliciae paederatorum fiebant. Sin autem agebatur de servis publicis, acta publica administrabant, aeraria publica. Vestiti erant limo vestimento obliquo. ❧

*(continuabitur)*